

do cum periculo animæ, sed cognoscendum de impedimento dirimente, ut matrimonium dissolvatur de facto. Si verò impedimentum est occultum, et mulier non habet paratas probationes, plena restitutio est facienda quoad cohabitationem et torum, cum presumptio sit contra mulierem, quod malitiosè opponat impedimentum dirimens (c. 13. h. t.) Quo tamen casu, si mulier certa est de impedimento dirimente, etsi illud probare non possit, non potest reddere debitum; cum hoc esset fornicari, etsi per sententiam excommunicationis ad id compelleretur (cit. c. 13. h. t. et c. 44. de sent. excom.) Si verò mulier tantum dubium habet de impedimento, reddere debitum debet, ne maritus propter dubium uxoris privetur usu certæ possessionis; ipsa verò indebitum petere non potest, donec adhibita diligentia sufficienti, et veritate non comperta, dubium deponat, certificando se de valore matrimonii; nisi mala fide contraxisset, maximè cum impedimento juris divini et naturalis, quia mala fides impedit usum possessionis. Ità com. DD. in cit. 13. h. t.—5.º Mulier opponens exceptionem voti de perpetua continentia mutuo consensu emissa, restituenda est quoad habitationem et obsequia conjugalia, non verò quoad torum, cum votum isti tantum, non illis adversatur.

## TITULUS XIV.

## DE DOLO ET CONTUMACIA.

109. Nota. In hoc tit. non agi de dolo, prout miscetur contractibus et aliis actibus humanis, sub qua ratione de illo agemus in lib. III., sed prout miscetur contumaciæ in judiciis; ita ut in dolo esse videatur, qui in iudicio renuit ea facere, quæ jus, aut iudex fieri præcipit. Porro contumacia, à contemnendo dicta, est inobedientia commissa adversus iudicem legitimè vocantem, vel quid fieri præcipientem. Estque duplex: Vera, dum quis personaliter, tribus edictis vel uno peremptorio citatus, venire recusat: si verò expressè sine causa, et imprudenter dicat: non veniam, est contumacia vera notoria, seu evidens. Ficta, dum quis malitiosè impedit, ne ad illum citatio perveniat; ad quam reducitur contumacia præsumpta, dum citatus edicto in publicis locis, vel in domo ejus affixo, venire renuit: tunc enim citatio ad eum pervenisse presumitur.

110. Q. I. Quibus modis contumacia ergà iudicem committatur?

R. Seqq.:—1.º In non veniendo post legitimam citationem (l. 33. §. 3. ff.

—Agitur de hac materia in Sexto, Clementinis, et Extrav. com. h. t.—In Decreto 3. q. 9. et 4 q. 5. et q. 2. 3. per tot. et 11. q. 3. Can. ceterum.—In Trid. S. 21. c. 3. in fin. sess. 22. c. 3. v. crescente, sess. 23. c. 1. v. quod si sess. 24. c. 12. sess. 25. c. 3. de refor.—In Pandectis lib. 2. tit. 3. cum seqq. lib. 48. tit. 17.—In Codice lib. 7. tit. 43. lib. 9. tit. 40.

de re jud. et l. 157. §. 1. ff. de R. J.)—2.º In non respondendo, vel obscure respondendo (l. 11. §. 4. ff. de interrogat.)—3.º In non jurando ad mandatum iudicis (l. 38. ff. de iurej.)—4.º In non restituendo, quod iudex restitui imperat; secus id manu militari auferendum (l. 68. ff. de R. V.)—5.º In recedendo absque venia iudicis, infecto negotio (c. 4. h. t.) Quos modos Glossa in c. 2. h. t. his versiculis complectitur:

Non veniens, non restituens, citiusque recedens,

Nil dicens, pignusque tenens, jurareque nolens,

Obscurè loquens: isti sunt jure rebelles.

111. Q. II. Quando reus dicatur contumax, et quæ pœna illius?

R. 1.º Tunc reus habetur pro contumaci, dum tribus edictis, vel uno peremptorio citatus, absque ulla justa causa non comparens, per interlocutoriam declaratur contumax (c. 6. h. t.); nam contumacia ipso jure non incurritur, sed primum post sententiam iudicis.—2.º Pœnæ rei contumacis sunt variae.—I. Negatur ei audientia, nisi prius refundat actori expensas, vel satisfiat per fidejussores, aut pignora (c. fin. §. in aliis ut lit. non cont.)—II. Fit immissio actoris in illius bona, ex primo et secundo tit. seq.—III. Verè contumax perdit beneficium appellationis (l. 23. §. fin. ff. de appell.), nisi stylus curiæ aliud habeat: si tamen impedimentum probaverit, non negatur ei in integrum restitutio, maximè si sit minor læsus.—IV. Contumax in non respondendo habetur pro affirmante, vel negante, prout magis est illi præjudiciosum. Abb.—V. Contumax punitur etiam pœnis arbitrariis, ut multa pecuniaria, incarceratione, excommunicatione etc. Ceterum pœna contumaciæ, cum descendat ex delicto, non transit in successorem universalem, vel singularem.

112. Q. III. Quando actor dicatur contumax, et quæ pœna illius?

R. 1.º Tunc actor habetur pro contumaci, dum post libelli oblationem, et rei citationem, ter, vel semel peremptoriè vocatus, actionem prosequi recusat, et uti contumax à iudice declaratur. Ità com. ex c. 3. h. t.—2.º Pœna actoris contumacis est: quod intra annum veniens non audiatur, nisi refusus reo expensis, (Aut. qui semel. C. quomodo et quando) et contra illum procedi possit modo infra dicendo.—3.º Contra actorem contumacem reus quatuor habet remedia præcipua:—I. Ut circumducatur edictum, seu decretum citatorium, hoc est, ut reus absolvatur à facta citatione, et liberè resiliat à iudicio (l. 73. §. 1. 2. ff. de iudic.)—II. Ut reus absolvatur à tota instantia, quo casu omnia gesta in tali instantia annullantur (l. 13 §. 2. C. de iudic.)—III. Ut reus definitivè absolvatur ad impetitionem actoris, modò reus probet, vel ex probationibus actoris constet in justam esse ejus petitionem (cit. aut. c. 3. h. t.)—IV. Ut reus petat pro se pronunciari, quod non fit, nisi reus plenè probet de jure suo, quod sit dominus rei (arg. cap. 25. de rescript.); nam non sequitur, v. g. fundus iste non est Caji actoris, ergò est Titii rei; nisi iste dominium probet. Reiff. à n. 29.

115. Q. IV. Quomodo iudex se gerat in casu contumaciæ?

R. 1.<sup>o</sup> Judex regulariter non procedit contra contumacem, nisi ad instantiam alterius partis (l. 68. ff. de jud.) Nam judex non nisi requisitus officium suum impertiri debet, nisi procedat ex officio nobili, et ad multam pecuniariam propter inobedientiam contumacis (l. 2. §. 1. ff. si quis in jus voc.)

2.<sup>o</sup> Judex de æquitate potest citatum non comparentem expectare in sequentem diem (c. 24. de off. del.), ubi glossa v. gratiam fecerit, ait: *Ecce quanta potestas datur judici circa judicia, ut possit parcere contumaci in præjudicium alterius.* Idem rescribitur l. 1. C. quomodo et quando. Ratio est: quia æquitas, quam judex spectat, id plerumque suadet, ne pars absens illicò condemnetur contumaciæ; potuit enim intervenire justum et subitum impedimentum, ut citatus nec per se, nec per alium comparere potuerit. Hoc autem probato, cessat contumacia, et sententia revocatur. *Excipe* delegatum pro illo casu, quo in termino peremptorio expirat ejus jurisdictio; tunc enim debet contra absentem procedere, ne aliàs tota instantia evanescat (cit. c. 24. ibi: *Si autem expiret* etc.)

3.<sup>o</sup> Si actor ante litem contestatam tribus edictis, quorum cuilibet triginta dies assignantur, citatus non compareat, conceditur ei adhuc unus annus; intra quem si non compareat, tunc reo præsentem et instante, judex procedit in negotio principali, testes recipit, et secundum veritatem sententiam pronuntiat. Ità de jure Can. c. 3. h. t. et c. 1. eod. in 6. Post litem autem contestatam non requiritur expectatio unius anni, sed si actor ad trinam citationem non compareat, statim judex procedere potest in negotio principali (cit. auth. qui semel. C. quom. et quand.); imò de jure Can. non attenditur tempus dilationum, maximè unius anni, sed actore post trinam citationem non comparente, mox procedi potest in causa principali (cit. c. 3. h. t.)—Nec audiendus est hic Gonz. dicens processum istum semper fieri lite contestata, cum litem contestatio hoc ipso induci videatur, quòd reus contradicat libello actoris. Nam aliud est actionem esse editam libello, aliud litem esse contestatam, ut patet ex cit. auth. ubi dicitur, in causa procedi lite non contestata, licèt actor libellum porrexerit, et reus libello contradixerit.

4.<sup>o</sup> Si reus est contumax ante litem contestatam, non proceditur ad sententiam definitivam, sed actor interim mittitur in possessionem rei servandæ causa (cap. 9. h. tit.) Quo casu partes rei sunt favorabiliores, quam actoris: tum quia contra actorem contumacem major est præsumptio injustitiæ; tum quia reo, qui invitatus trahitur in iudicium, plus est indulgendum; ergò licet contra actorem contumacem, lite non contestata, procedi possit, non tamen contra reum. At si reus est contumax post litem contestatam, et causa est liquida, fertur sententia definitiva; vel pro actore, si intentionem suam probavit; vel pro reo absente, cujus absentiam supplet Dei præsentia (l. 13. §. 4. C. de jud. ibi: *Litigatoris absentia, Dei præsentia repleatur* et l. 73 pr. ff. eod.); quod semper observandum est, dum eromodicum, hoc est, desertio iudicii, ventilatur sive pro actore, sive pro reo (cit. l. 13. §. 4.) Contumax autem victor, semper in penam contumaciæ condemnatur in expensas. Gail, et alii. Hoc adhuc speciale est in

tali casu, quòd sententia hoc modo in materia beneficii lata non transeat in rem judicatam quoad superiorem, cui adhuc integrum est de partium iuribus inquirere et cognoscere, maximè si sententia lata est contra absentem indefensum (cap. 6. hoc tit.); tum ut injustitia vitetur, tum ne beneficium eccl. sine canonica institutione obtineatur, contra reg. 1 in 6.

## TITULUS XV.

DE EO QUI MITTITUR IN POSSESSIONEM, CAUSA REI  
SERVANDÆ.

144. Nota I. Præsentem rubricam esse unam ex illis, sub quibus nigrum est generalius rubro, sicut in tit. de offic. deleg., ubi etiam agitur de iudicibus conservatoribus; et tit. In. de tutelis, ubi etiam in specie de testamentaria tutela; tit. In. de oblig. ex delicto, ubi etiam de furto in specie etc. Ità etiam hic non tantum agitur de missione in possessionem ex primo decreto custodia causa; sed etiam ex secundo decreto, quo vera possessio in missum transfertur, licèt hodie rarissimæ sint hujusmodi missiones.

Nota II. Missionem in possessionem honorum rei decerni ex ea causa, ut reus a contumacia cesset, et tædio talis missionis affectus compareat ad iudicium, ob quod etiam missio ista vocatur *tædialis*. Et fit; vel ex primo decreto, seu prima jussione iudicis, qua actor mittitur in bona custodia causa; vel ex secundo decreto, quo actor ob perseverantem rei contumaciam verus efficitur honorum possessor, sola quæstione proprietatis reo relicta (c. 1. h. t.)

145. Q. I. Quis judex mittere possit actorem in possessionem honorum rei?

R. Solus ille, cui competit imperium mixtum, adeoque non pedaneus (l. 4. ff. de iurisd. ibi: *In possessionem mittere, imperii magis est quam jurisdictionis.*) Cui non obstat l. 4. §. 3 de damno inf.; nam magistratus municipales non jure proprio, sed vice præsidis mittebant in possessionem. Porro, ut hæc missio ritè fiat, quatuor requiruntur: trina prævia citatio vel una peremptoria, causa vera, cognitio saltè summaria causa, et ut missio fiat ad instantiam actoris, prolata desuper interlocutoria.

146. Q. II. Quomodo fiat missio in actionibus realibus?

R. 1.<sup>o</sup> Lite non contestata, non proceditur ad testium receptionem, aut sententiam, sed interim actor ex primo decreto mittitur in possessionem honorum rei, vi cujus decreti non efficitur verus possessor, sed tan-

\*.—Agitur de hac materia in Sexto h. t. et c. fin. §. fin. ut lite non contest.—In Pandectis l. 42. tit. 4. §. 1. 43. tit. 4. et sparsim tit. ff. de damno infecto.—In Codice lib. 7. tit. 72. Nov. 53. c. 4. l. 8. tit. 22.

tum custos et detentor bonorum et fructuum (*c. fin. §. fin. ut lit. non cont. cap. fin. h. tit. l. 3. §. fin. ff. de acq. poss.*); quæ jura misso non attribuunt possessionem veram, etiam revocabilem tantum, ut volunt Azo, Goffredus, Maranta et alii, sed nudam custodiam rerum, seu tenutam. Nec est paritas à pignore conventionali ad hoc prætorium, seu judiciale, quia illud solum tribuit creditori jus reale, et consequenter possessionem hujus juris; missio autem, seu pignus prætorium tribuit tantum custodiam et detentionem.—Ex quo solvitur *l. 40. ff. de acq. poss. l. 2. C. de Prætor. pignor.* et alia jura, quæ expendit Gonz. *c. fin. ut lit. non contest.*

2.º Si reus intra annum redeat, actori expensas solvat, et satisfationem idoneam de iudicio sibi præstet, recuperat omnia bona cum fructibus. At si intra annum non compareat, eo lapsa, missus efficitur verus possessor absque necessitate novi decreti secundi, licet hoc pro meliori impetrari possit (*cit. c. fin. §. fin. ut lit. c. 11. §. verumtamen, de off. ord. ibi: Post annum verus efficiatur possessor.*) Quia verò contumaci absenti salva est quæstio proprietatis (*cit. c. fin. et c. 1. h. t.*), sequitur, quod actor non efficiatur verus dominus, seu quiritaris, sed tantum quasi dominus, seu bonitarius: quo sensu procedit *l. 15. §. 16. et 18. ff. de damno inf.*, et alia jura, quæ expendit Gonz. *loco cit.*

3.º Si lis est contestata, non fit missio ex primo decreto in actione reali; sed si causa liquida est, fertur sententia definitiva pro actore, vel reo absente, cujus absentia suppletur Dei præsentia. Si verò causa pro neutra parte est liquida, præsumitur injustitia rei contumacis, atque ita actor, quasi ex secundo decreto mittitur in possessionem bonorum rei sola huic proprietate relicta (*c. 4. de dol. et contum. l. 8. C. quom. et quando.*)

417. Q. III. Quomodo fiat missio in actionibus personalibus?

R. 1.º Actor, etiam lite non contestata, ob contumaciam rei mittitur in possessionem bonorum ejus ex primo decreto; non quidem absolute omnium, sed pro quantitate debiti, primum mobilium, et his non sufficientibus, etiam immobilium; nisi iudex alio medio uti velit, ut excommunicationis, etc. (*cit. c. fin. §. fin. ut lite non contest.*)—2.º Si reus intra annum non compareat, actor, ut verus possessor efficiatur, opus habet secundo decreto iudicis (*c. 9. de dolo et contum. l. 15. §. 16. ff. de damno infect.*) In quo præsens decisio differt à præcedenti, cum actio realis multo sit favorabilior actori, quam personalis.

418. Q. IV. Quomodo computetur tempus unius anni, quod præcedere debet decretum secundum?

R. 1.º Regulariter annus iste computatur à die actualis missionis, cum ante illam reus non censeatur tedium pati. Abb. et alii.—2.º At si reus resistat actori volenti occupare bona, is fictione juris censetur missus in possessionem bonorum à die interpositi decreti primi (*c. 9. de dolo et contum.*), ne alioquin reus ex sua malitia commodum reportet. Ceterum, justa causa suadente, iudex terminum annum vel restringere potest in actione reali, vel prolongare in actione personali, cum id totum videatur ejus arbitrio esse permissum.

419. Q. V. In quibus causis non admittitur missio in bona rei?

R. 1.º In causis criminalibus, in quibus bona contumacis adnotari solent (*l. 1. §. fin. et l. 2. ff. de requirend. vel absent.*)—2.º In causis beneficialibus quoad titulum, ne detur vitiosus ingressus in beneficia (*c. un. h. t. in 6.*), nisi agatur de proprietate Ecclesiæ (*ibid. et c. 2. h. t.*), ubi moniales mittuntur in possessionem Ecclesiæ, causa rei servandæ.—3.º In causis matrimonialibus, ne missio fiat in periculum animæ (*c. 3. et fin. §. porrò, ut lite non contest.*)—4.º In illis causis civilibus, in quibus actor nihil petit, sed tantum vult ab aliquo liberari; ut si minor petat restitutionem adversus hæreditatem aditam.

420. Q. VI. Qui sint effectus decreti primi, et secundi?

R. 1.º Actor ex primo decreto acquirit custodiam rei et fructuum, uti et horum administrationem; consequitur in re pignus prætorium, seu judiciale, vi cujus præfertur aliis creditoribus non hypothecariis, et ad exemplum possessoris habet interdictum, ex *l. 1. §. 1. ff.: ne vis fiat ei, qui in possessionem missus est.*—2.º Actor ex secundo decreto fit verus possessor cum conditione usucapiendi, quia licet sciat rem alienam esse, tamen possidet eam justè; gaudet interdicto *unde vi*, et si mavult sibi solvi, quam bona possidere, Prætor jubebit bona vendi sub publica subhastatione (*l. 7. §. 1. ff. quib. ex caus. in poss. ibi: Ejus bona possideri, vendique jubebo.*)

## TITULUS XVI.

### UT LITE PENDENTE, NIHIL INNOVETUR. \*

421. Nota. Litis pendentiam esse durationem controversiæ inter duos motæ, donec terminetur ultima sententia definitiva, à qua ulterius non appellatur, vel transactione, aut alio modo, quo iudicium finiri solet.

422. Q. I. Quo actu inducatur litis pendentia?

R. Oblatione libelli, et citatione reo intimata. Ità de jure novo *Clem. 2. h. t.* ibi: *Litem pendere censemus, postquam à iudice competenti in ea citatio emanavit, et ad partem citatam pervenit, vel per eum factum fuit, quominus ad ejus notitiam perveniret: dum tamen in citatione prædicta talia sint expressa, per quæ plenè possit instrui, super quibus in iudicio convenitur.* Cui consonat *Auth. litigiosa res C. de litigiosis.* Atque ità corrigitur jus antiquum, quo litis pendentia inducebatur per litis contestationem (*l. 1. ff. de litig. c. 30. in fin. de V. S.*) Porrò, quia citata Clementina generaliter loquitur, non distinguendo inter actionem realem et personalem, se-

\*—Agitur de hac materia in Sexto, et *Clem. h. t.*—In Decreto *11. q. 1. Can. uti. et 16. q. 4. Can. volumus.*—In Pandectis, *l. 44. tit. 6.*—In Codice *l. 1. tit. 21. et maxime l. 8. tit. 37. Nov. 112. c. 1.*

quitur litis pendentiam per citationem induci non tantum in actione reali, ut vult Perez, sed etiam personali.

123. Q. II. *Quis sit effectus litis pendens?*

R. Primarium esse, ut *lite pendente, nihil innovetur*, puta in præjudicium litigantium: ita instar regulæ rubricæ *h. t.* Unde:—1.º Lite pendente in actione reali, res evadit *litigiosa*, seu *vicio litigii affecta*, dum super dominio litigatur; si verò agatur solo possessorio, non res ipsa, sed possessio fit litigiosa. In actione verò personali, nec res, nec possessio, sed ipsa actio, seu instantia evadit litigiosa; ita ut actor nequeat illam alteri cedere, nisi cassis aliis obligationibus.—2.º Res litigiosa alienari nequit, secus retrahenda, vel alia res æquivalens in locum ejus substituenda (*Can. fn. 11. q. 1. c. 3. 4. h. t.*); nam alienatio ista immutat statum rei, et præjudicat alteri litiganti. Probabilius tamen alienatio litigiosi mero jure valet, licet rescindi possit per sententiam: tum quia *c. 4. h. t.* alienatio dicitur revocanda; tum quia per *l. 3. ff. de litig.* alienatio in favorem Religionis facta subsistit; tum quia, altera parte consentiente et non excipiente, valet alienatio rei litigiosæ; ergo.—Nec obstat *c. 4. h. t.*; ibi: *Irritum decernimus, l. 2. 3. C. de litig.* et similia jura: nam loquuntur de nullitate quoad effectum, quia alienatio rescindi potest.—3.º Pendente lite, non potest impetrari rescriptum in præjudicium colligantis, nisi in eo mentio fiat litis pendens (*c. 1. et fn. h. t.*)—4.º Lite pendente, possessor non est privandus sua possessione, etiam in matrimonialibus, donec lis decidatur (*c. 1. 2. h. t.*); unde uti potest commodis suæ possessionis, quia utendo nihil innovat, sed jure veteri utitur.—5.º Si lite pendente super electione aut beneficio, unus litigantium moriatur vel renuntiet, non potest ad novam electionem, vel provisionem procedi, donec super jure superstitis cognoscatur; secus attentata electio, aut provisio est nulla (*c. 1. h. t. in 6.*); nam morte unius non cessat beneficium esse litigiosum, cum reste dubium, an superstes habeat jus ad illud. Imò si etiam deinde constaret superstiti nullum jus competere, tamen electio antea facta est nulla, quia quod ab initio vitiosum est, tractu temporis non convalescit (*l. 29. ff. de R. J.*); neque contra jus clarum procedit arg. à sensu contr. ex *c. 10. de arbitr.*

124. Q. III. *An dentur casus excepti, quibus lite pendente, aliquid innovari possit?*

R. Affirmativè. Et quidem:—1.º Fieri potest missio in possessionem (*tit. præced.*)—2.º Fieri potest sequestratio possessionis et fructuum (*tit. seq.*)—3.º Fieri potest alienatio rei litigiosæ in casibus relatis in *l. fn. C. de litigios.*; uti ex causa dotis vel donationis propter nuptias, ex causa transactionis vel divisionis rerum hæreditariarum, nisi omnes istæ res inter hæredes et eorum adversarium essent litigiosæ: ex causa necessaria, v. g. alimentorum, vel pro exolutione funeris; et ex gratia principis, consensu adversarii vel quacumque causa arbitrio judicis probata, tanquam justa, ut si res aliàs esset peritura etc. Denique cum re litigiosa disponi potest per ultimam voluntatem, sed tunc hæres vel legataris tenetur litem prosequi.

125. Q. IV. *Que sit pœna contractus laborantis vicio litigiosi, ut si res litigiosa vendatur, donetur etc.?*

R. 1.º Si uterque contrahentium scivit rem esse litigiosam, contractus irritatur, et res vendita in priorem statum reducit, emens amittit pretium, et vendens tantundem præstat, et utraque hæc pœna applicatur Fisco (*l. fn. C. de litig.*)—2.º Si solus venditor novit rem esse litigiosam, emptor suum pretium recuperat, et insuper tertiam partem æstimationis, quam venditor præstat; duæ autem partes applicantur Fisco, *ibid.*—3.º Si quis rem litigiosam donavit sacris, duplum præstat adversario applicandum, *ibid.*; idque propter contumeliam in Deum, quem talis venditor falsa religione colere attentat in præjudicium adversarii; donatio tamen sacris facta subsistit.

## TITULUS XVII.

### DE SEQUESTRATIONE POSSESSIONUM ET FRUCTUUM. <sup>a</sup>

126. *Nota.* Hic non agi de sequestro latè accepto pro cura, seu curatela, sicut prodigis majoribus solet dari sequester, seu curator (*tit. ff. de curator, furios.*) Hic autem *sequestrum*, seu sequestratio est: *Rei litigiosæ, vel fructuum ejus apud tertium depositio*; vel *voluntaria* de consensu partium, vel *necessaria* ex mandato et auctoritate judicis. Illa tertia persona, apud quam actor et reus rem litigiosam deponunt, vocatur *sequester*. Est autem *sequestrum* species depositi (*l. 17. ff. depositi*); et differt à deposito specificè sumpto, quia sequestratio fit rei litigiosæ, et à pluribus in solidum; econtrà depositum fieri potest rei liquidæ, et ab uno. *ibid.*

127. Q. I. *An licita sit sequestratio?*

R. 1.º *Voluntaria*, seu conventionalis est generaliter permissa *l. 21. C. mandati*, cum volentibus nulla fiat injuria.—2.º *Necessaria*, seu judicialis regulariter est prohibita, *l. un. C. de prohibita sequestratione pecuniæ*: ubi nomine pecuniæ venit omnis res, ut benè notant DD. Natu lite pendente, possessor non est privandus commodo suæ possessionis. Hæc tamen regula multas patitur exceptiones et casus, in quibus, æquitate suadente, judex decernere potest sequestrationem: ut si periculum est, ne res aut fructus rei dilapidentur; si timetur, ne litigantes ad arma veniant, vel maritus rem dotalem dissipet; si jura partium sunt obscura, v. g. circa suppositionem partus, censum emphyteuticum, quem duo domini exigunt, circa beneficium, de cujus possessione duo litigant etc. Denique generaliter ex quacumque justa causa potest judex ad sequestrationem procedere, ut in debitis fiscalibus etc. Ità hæc omnia colliguntur ex *c. 2. et. fn. h. t.*

<sup>a</sup>.—Agitur de hac materia in Clementinis, *h. t.*—In Decreto *c. quoties 2. q. 7.*—In Codice *lib. 4. tit. 4. de prohibita sequestratione pecunia.*

l. 7. §. *fin. ff. qui satisd.* et aliis juribus (Reiff. à n. 18).—Porrò ut iudex ex officio nobili procedat ad sequestrationem, requiritur causa gravis et publica (*arg. c. 1. h. t.*); ut verò procedat ex officio mercenario ad instantiam partis, requiritur summaria cognitio de jure petentis, et de causa, uti et juramentum, quod sequestratio malitiosè non petatur, citatio partis adversæ, nisi subsit periculum fugæ, et aliqua præsumptio contra reum, quod dilapidatis bonis, non posset creditori satisfacere.

128. Q. II. *Quæ res sequestrari possint?*

R. 1.º Regulariter omnes litigiosæ et sub custodiam cadentes, sive sint mobiles seu immobiles, corporales vel incorporales, materiales vel spirituales. Imò etiam persona libera sequestrari potest: ut *c. 13. de sponsal.* puella sequestratur objiciens exceptionem metus in matrimonio contracto; et *c. 14. de probat.* objiciens professionem religiosam; et uxor profuga ob sævitiam mariti sequestrari solet, et custodiri apud honestam fæminam.

2.º Beneficium ecclesiasticum sequestrari potest, servata forma *Clem. un. h. t.*, scilicet, ut priùs in curia apostolica lata sit sententia super ipso beneficio contra possessorem, qui necdum triennio pacificè illud possedit, et ut exequutio sequestrationis fiat per Ordinarium, et apud personam idoneam, cui administratio beneficii tutò committi possit. Tum subijcitur pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ ab his, qui talem sequestrationem impedire, vel fructus sequestratos occupare præsumperit, etc.

3.º Cadaver non est sequestrandum, donec hæres debita defuncti solvat. Ità com. contra Angelum, qui hanc sequestrationem admittit, saltèm in debito guarentigiato, hoc est, paratam exequutionem habente ex forma statuti. Nam inhumanum est negare cadaveribus defunctorum sepulturam, quam omnia jura conceduat: divinum, *Eccl. 7.* ibi: *Mortuo non prohibeas gratiam*, seu sepulchrum gratuitum; canonicum, *cap. 28. qui divina 13. quæst. 2.*; civile, *lib. 6. C. de spulchr. viol. Nov. 60. c. 1.*

129. Q. III. *Quid juris circa sequestrem?*

R. 1.º Sequester potest esse unus, vel plures, partibus non suspecti, qui fideles et in administranda re sequestrata diligentes futuri existimantur. Imò ex communi sententia, etiam iudex sequester eligi potest, *l. 11. §. 2. ff. de recept. arb.* ibi: *Si res apud arbitrum depositæ sunt; et l. 7. §. fin. ff. qui satisd.* ibi: *Apud officium deponi debet.*

2.º Nemo invitus cogitur esse sequester, nisi consuetudo vel justa causa aliud suadeant (*arg. l. 7. pr. ff. depositi*), ibi: *cùm posset non suscipere talem causam*. Nam nemo invitus tenetur contrahere; sequester autem obligatur ex contractu, vel quasi contractu (*l. 9. §. 3. ff. de dolo malo.*)

3.º Possessio rei sequestratæ non transfertur in sequestrem, sed pura custodia (*cap. 2. hoc. tit.*), etsi sequestratio sit voluntaria; ut tenent Felin. Zoes. Reiff. cum cit. à n. 42. contra Abbatem, Bartol. Gail. etc.; tum quia *proprie in sequestre est depositum* (*l. 6. ff. depositi*); tum quia in sequestratione voluntaria partibus liberum est deponere, vel *custodiæ causa*, et sic possessio victori prodest ad usucapionem; vel *amittendæ possessionis causa*, et sic possessio partibus non prodest ad usucapionem (*l. 39. ff. de acq. post.*)—*Excipit*, nisi litigetur de sola possessione, et hæc sola deponatur

apud sequestrem; tunc enim sequester fit possessor, et pars utraque privat se incerta possessione, et consequenter jure usucapiendi; *l. 17. §. un. ff. depositi*, ubi Florentin. ait: *Rei depositæ proprietæ apud deponentem manet, sed et possessio, nisi apud sequestrem deposita est.*

4.º Sequester castri, vel dignitatis, cui annexum est jus elegendi vel præsentandi, potest sequestratione pendente, eligere, vel præsentare, modò ex alio capite non sit inhabilis ad hos actus: ità com. DD. contra Tholosan. et Selvam. Nam per *Clem. un. h. t.* administratio rei sequestratæ pertinet ad sequestrem, eligere autem aut præsentare est actus administrationis; tum quia id exigit publica Ecclesiarum utilitas, quibus diuturna vacatio nocet. Poterit tamen sequester partes consulere, et quem utraque pars nominaverit, præsentare; in discordia verò eligat aptiorem ex nominatis.

130. Q. IV. *Qui sint effectus sequestrationis?*

R. Seqq.:—1.º Sequester obligatur rem sequestratam diligenter administrare, et illam cum fructibus victori reddere (*Clem. un. h. t. c. 2. de dol. et contum.*) Suadet tamen æquitas, ut si pars sequestrationem necessariam patiens, aliunde non habeat, unde se alat, et expensas solvat, necessaria ei ministrentur ex re litigiosa.—2.º Ex sequestro datur victori actio sequestraria depositi directa contra sequestrem, si quid damni intulit, et contraria datur sequestri contra victorem, si quid in rem sequestratam impendit (*l. 1. §. 24. ff. depositi.*), ne officium suum sit ei damnosum.

131. Q. V. *Quibus modis tollatur sequestrum?*

R. Seqq.:—1.º Lite per sententiam plenè finita.—2.º Cautione idonea.—3.º Eventu conditionis, sub qua sequestratio facta est: quo etiam spectat regressus rei intra annum, si loco missionis ex primo decreto facta est sequestratio (*c. 1. h. t.*)—4.º Morte sequestris, quo casu res sequestrata deponi solet apud ædem sacram. (*lib. 5. in fin. ff. depositi.*)

## De Arrestatione.

132. Cum *arrestatio*, à gallico *arrestar* dicta, multum affinis sit sequestrationi, paucis de illa agere oportet.—I. Arrestatio est: personæ vel rei detentio, ob securitatem creditoris facta, ne loco moveatur, donec negotium aut lis cum creditore componatur. Differt à sequestratione: nam hæc est contractus, vel quasi contractus, sub genere depositi, ut res litigiosa custodiatur. Econtra arrestatio est impedimentum, vel manuum injectio, ne res, aut persona loco moveatur.—II. Arrestatio est duplex: *publica*, et *privata*. *Publica* fit auctoritate judicis vel ex officio, vel ad instantiam partis, justa causa cognita, ex qua constet, necessariam esse arrestationem. Si autem ex post facto constet injustam esse arrestationem, creditor tenebitur arrestato ad omne damnum et interesse compensandum, imò et injuriarum actione conveniri potest (*lib. fin. ff. de reb. auth. jud. poss. l. pen. C. qui bon ceder.*); *Privata* ex conventionem partium est permissa; at si fiat sola voluntate creditoris, re-